

## CARMEN DE EXPVGNATIONE ALMARIAE VRBIS

*Juan Gil*

Adefonsi imperatoris Chronica post Sandoualii<sup>1</sup> dimidiatum opus publici iuris facta sunt a Berganza<sup>2</sup>, Florezio<sup>3</sup>, Huicio<sup>4</sup> et Ludouico Sanchez Belda<sup>5</sup>, qui pro suo quisque captu textum quam maxime expurgatum in lucem proferre conati sunt. Quod primus codices inuestigauit maxima laus Ludouico Sanchez Belda iure debetur; nomini haec res officit, quod priorum editorum clara reperta nonnumquam sine iusta causa neglexit: praepostere, humane tamen, apud eum legitur *hominem exiuit* (8, p. 11), pro eo quod Florezius recte restituit *hominem exiit* (cf. *carm. Centul. XCVI [PAC, III 2, p. 333]*). At in prosa oratione sensus utcumque procedit; peius carmini uertit quod, ne lectores taedium subiret, annalibus suis inseruit scriptor ille haud inficetus, cum neque metro neque sententiis satis consultum foret. Neque meliore in eo fortuna uersatus est C. Rodriguez Niceto<sup>6</sup>. Hinc denuo carmen recensendi consilium, non quia omnem scabritiem mihi leuigasse uisus essem, sed quod corruptelas censoria nota damnari aequum erat: ita demum in posterum uersibus emendandis explanandis uia expedita. Locos similis non nisi ad lectiones in textum receptas fulciendas adhibere et id desultorie placuit; totum poema perpetuo commentario illustrare nequaquam uacabat.

---

1. *Historia de los reyes de Castilla y de León...*, Pamplona, 1634, f. 189v ss.

2. *Antigüedades de España*, Parte segunda, Madrid, 1721, p. 590 ss.

3. *ES*, XXI, p. 320 ss.

4. *Las crónicas latinas de la reconquista*, Valencia, 1913, II, p. 171 ss.

5. *Chronica Adefonsi imperatoris*, Madrid, 1950.

6. *Boletín de la Biblioteca Menéndez Pelayo*, XIII (1931) 140-75.

De subsidiis criticis quae editioni parandae mihi praesto fuerunt paucis absoluam. Olim in cathedralis Toletanae tabulario prostabat codex Adefonsi Chronica continens, postea praeda tinearum uel scombrorum tunica futurus, quem saeculo XIV aut XV exaratum esse ex quibusdam scripturae indiciis (ut puta *recto* et *retro*, *misericordia* [i.e. *mscda*, non *micdia* aut *miscdia*] et *uiscera* confusis) sibi persuasit Sanchez Belda<sup>7</sup>. Verum enimvero, cum argumenta ex re palaeographica tracta quam sint ancipitia nemo ignoret, quae certa clara uidentur exponam: tempore quo liber ille ad umbilicum perductus est litterae *t* et *c* (cf. u. 9, 63, 73, 106, 110, 132, 149, 161, 197), *-s* et *-r* (cf. u. 82, 331) permutabantur, *iu* et *ui* haud facile discerneres (cf. u. 23, 104), in promptu erant compendia *c<sup>i</sup>* (*cri*, cf. u. 9, 309), *c<sup>o</sup>* (*cro*, cf. u. 31), *'* (*er*, cf. u. 21, 92, 93, 124, 205), *p* (*pro*, *prae*, *per*, cf. u. 45, 64, 65, 80, 137, 318, 383), *h* (*haec* quod pro *hoc* accipitur, cf. u. 86, 94, 115, 123, 138, 171), *qm* (*quoniam*, cf. u. 245, 258). Sed haec omnia in litterarum ductum quem Adefonsi imperatoris diplomata exhibent atque in Gothicum quem uocant scribendi morem aequae cadunt. De compendio *qm* priscum quiddam redolente uiri huius rei periti uiderint; ego tam incerta uestigia premere uix audeo.

A codice Toletano fluxerunt litteris renatis apographa quotquot innotuerunt omnia, e quibus aetate praestant **S** (Matr. BN 9237 ff. 52<sup>v</sup>-60<sup>r</sup> saec. XVI), **D** (BN Matr. 8190 ff. 234<sup>v</sup>-240<sup>v</sup> saec. XVI) et duo Pereziana, **T** (Tol. Bibl. Cath. 27-26 saec. XVI; non contuli) et **M** (Matr. BN 1376 ff. 267<sup>v</sup>-274<sup>v</sup> saec. XVI); medium quendam locum obtinent **A** (Matr. BN 1505 ff. 64<sup>r</sup>-68<sup>v</sup> saec. XVII; in f. 7<sup>r</sup> scriptum: *Chronica del Emperador don Alonso el Septimo Rey de Castilla y Leon que se hallo manuscrita de letra gotica en pergamino en el Archivo de la Santa Iglesia Primada de Toledo y escrita en vida del mismo Emperador. Publicala don Iohan de Mendoza y la dedica*. In f. 40<sup>r</sup> animaduertitur: *aqui estaban cortadas las ocho ultimas oxas desta historia original*) et **L** (Matr. BN 1279 ff. 77<sup>v</sup>-87<sup>r</sup> saec. XVII; inscribitur *Coronica Adefonsi imperatoris ex bibliotheca illustris Domini Garciae Loaisa Giron Guadalaiarae archidiaconi*). Cogit agmen **E** (Matr. BN 51 ff. 235<sup>v</sup>-242<sup>r</sup> saec. XVIII), cui nihil re uera inest bonae frugi. E uestigio apparet quasi in duas familias hanc librorum copiam cogi posse: artissime namque cohaerent

7. O. c., p. LXXXVIII ss.

S(T)MD(E), cum L facit A, quamquam haud raro A uarias lectiones praebet inopinas et crassa Minerua ad sensum quoquo modo eliciendum excogitatas. Vltterius procedere in apographorum propinquitate stabilienda uix conceditur, neque est cur credas uiro docto Sanchez Belda<sup>8</sup> contendenti ex Toletano descripta A et S, ex S pendere M et D, huc quoque accedere L ad aliud tamen exemplar correctum. Iniuria: L enim per se stare ratio conuincit. M uero ita a S recedit, ut discrepantiae ratio plerumque reddi possit, quod genus est cum *perterret* pro *praeterrit* (u. 94), *praecedi* pro *praeceli* (u. 109), *dicit* pro *descit* (u. 301) scribit. At in u. 205 cum *ferit* habeat S, *fecerit* M, copula rumpitur et ad L (*fecit*) Perezianum spectat; neque in procliui est ut *uisis* (S) in *uixit* (M) aut in *uossis* (E) degeneret (u. 312). Iam iam uereor ne fumum persequendo molestus fiam. Hoc igitur pro uero habeto, quot homines doctos, tot exemplaria, quorum interdum cognationem agnoscimus, plerumque memoria cum crepundiis perit. Etenim apographum quod penes Pellicerium fuit descriptum est a Sota, aliud ipse Pellicer dono dedit Marchioni de Mondejar, cuius in scriniis exemplar quoque seruabatur adnotationibus marginalibus Garsiae de Loaisa adornatum<sup>9</sup>. Berganzae editio fulta est duobus libris, quorum unus ex bibliotheca Garsiae de Loaisa tractus, alter ad litteram translatus est ex codice Toletano a Canonico Siruela. Adfinitas in propatulo, nam codicem Pellicerii cum A, exemplar Loaisae cum L, Siruelae librum cum S coniunctum esse constat, gradus uero necessitudinis incerti.

Libris AL conspirantibus maximum pondus, quippe quos limaiores reddidit litteratus nescio quis interdum uerum coniectura adsecutus, etsi parum rei metricae peritus *phenis* in *perennis* (u. 137) securus correxit. Nec dubito quin Toletanum archetypum multis scateret mendis quas incredibili quadam oscitantia DEMS seruare uidentur. Corruptelas tamen omnis codici Toletano imputare nefas. Fato fit ut AL quem errorem prius euitarant in hunc postea inciderent, quo modo in u. 286 *regaliaque signa* metro repugnante exhibent (recte DEMS *regalia signaque*), in u. 211 uero retento (*Agarenos enseque* : *Agarenosque ense* DEMS). Simili ratione

8. O. c., p. LXXXIV.

9. Cf. ES, XXI, p. 307 ss.

DEMS peccasse par est, unde mediam uiam inire cogimur potiora undecumque libantes.

De re orthographica si umquam alias diuinandum. Pro diphthongo *ae* restituenda *e* littera uidetur; ita procedit et res metrica (u. 52 *eque/dieque*, 66 *stelle/mille*, 138 *Castelle/mille*, 178 *Ionate/Naue*) et prosodia (u. 7, 115 *tēdiosa*, 19 *coëquales*). Hac de causa et *prelium*, *menia* semper scripsi, cetera ad normam seueriorem redegī (u. 254 *scholam*, 262 *ephebos*, 137 *phenix*, 73 *ethereus*; u. 149 *tympanotriba*), receptis tamen dubitanter *inclytus* (u. 4, 60, 152, 272, 309, 375), *syluis* (u. 49), *Raymundus* (u. 344) et *patriçabat* (u. 326 [cf. u. l. *Baeça* u. 312], at *patrissant* in u. 211).

## PREFATIO DE ALMARIA

- Rex pie, rex fortis, cui sors manet ultima mortis,  
 Da nobis pacem linguam prebeque loquacem,  
 Ut tua facunde miranda canens et abunde  
 Inclyta iustorum describam bella uirorum.
- 5 Doctores ueterum scripserunt prelia regum;  
 Scribere nos nostri debemus et imperatoris  
 Prelia famosa, quoniam non sunt tediosa.  
 Optima scriptori, si complacet imperatori,  
 Reddantur iura, quod scribat bella futura.
- 10 Dextra laborantis sperat pia dona Tonantis  
 Et bellatoris bonum petit omnibus horis.  
 Ergo quod elegi describam, bella sub Urgi  
 Facta, paganorum quia tunc gens uicta uirorum.  
 Conuenere duces Hispani Francigeneque,
- 15 Per mare per terras Maurorum bella requirunt.  
 Dux fuit imperii cunctorum rex Toletani;  
 Hic Adefonsus erat, nomen tenet imperatoris,  
 Facta sequens Caroli, cui competit equiparari:  
 Mente fuere pares, armorum ui coequales,
- 20 Gloria bellorum gestorum par fuit horum.  
 Extitit et testis Maurorum pessima pestis,  
 Quos maris aut estus non proteguit aut sua tellus,

---

*Inscriptio* Almeria A    3 *iterauit A, sed postea priorem uersum expunxit alteri uirtus pro ut tua inculcans*    4 *iustorum scripsi: istorum A, sanctorum (i.e. scorum) DELMS || describant A*    5 *Doctiores A || ueterum dubitanter scripsi: ueteres codd.*    6 *nos om. A*    8 *Optimo A || complacet A*    9 *iura M : cura A, tura DELSM || sciebat (i.e. scibat) A, scribant M*    10 *spirat (i in e correcto) S*    11 *bonum scripsi : donum codd. || choris D*    15 *maria A*    16 *Omnium fuit imperii custos rex A*    19 *Mente A (cf. Poet Sax. II 144-45 par genitori | indole mentis erat) : Gente L, Gentes DEMS*    21 *Extitit] Exercitus A || et DEMS: est AL*    22 *Quos] Fluctus A*

- Nec possunt iusum mergi uel ad ethera sursum  
 Suspendi uicta, scelerata fuit quia ui[c]ta.
- 25 Non cognouere Dominum, merito periere.  
 Ista creatura merito fuerat peritura:  
 Cum colunt Baalim, Baalim non liberat illos.  
 Barbara gens talis sibimet fuit exitialis.  
 Adar at mensis uenturos nuntiat enses.
- 30 Non tulit impune quicquid male fecerat ante:  
 Mucro maiores diuinus necne minores  
 Consumpsit bellis non parcens porro puellis.  
 Cetera gens gladiis ceduntur more bidentis,  
 Nec remanent teneri quicumque ualent reperiri.
- 35 Celestis dira super hos dimittitur ira.  
 Ne nos longa mora turbet uel tardior hora,  
 Est opus incepti redeamus ad alta laboris.  
 Pontifices omnes Toleti siue Legionis,

---

23 iusum scripsi, in quam formam aduerbium deorsum loquendi usu tritum degenerauerat (cf. ThLL, V 1, c. 559,27) : uisum *codd.* Eadem menda in u. 104

24 uicta (DELMS) suspectum; fortasse subaudiendum agmina, cf. u. 357 : uita A inepte || deleui; oratio nempe causalis rationem uictoriae reddit (uerba uita scelerata fuit ... uicta aliam prorsus notione inducunt) 25 periere ex fuerat peritura (quod huc ex u. 26 inrepsit) correxit E, perire D 27 Baalim utrubique AL (cf. u. 300) : Bahalim DEMS 28 Adar at mensis scripsi (quo scilicet mense cum Assueri regis tempore gens Iudaeorum usque ad interuentionem deleri debuisset, uersa uice Iudaeis concessa est facultas inimicos ulciscendi, cf. Esth. 3 7, 7 12) : Adorat menses *codd.* 30 mali A

31 Mucro AL: Muc incerto supra c litteram compendio (fuit muc<sup>o</sup>) DEMS || diuinus scripsi (cf. Ier. 47 6, Cod. Carolin. 11 [p. 506, 2 Gundlach] diuino mucrone percussus est) : diuinis DELMS, dibilitis A || nec A; necne pro necnon adhibetur, cf. Norberg, Beiträge, p. 115 et epitaphium Godefridi 8 (PAC, V, p. 291) Qui te plasmauit necne cruore lauit, Abbonis Bella Parisiaca urbis III 21 (PAC, IV 1, p. 117) Conuenit inualidis apozima necne placenta, Carmina Centulensia CLII 18 (PAC, III 2, p. 358) Cum Sebastiano necne Valeriano, epitaphium Radelcari 13 (PAC, II, p. 659) Immobilis uerbis affectu necne suauis, Carmen Campidoctoris 121-23 (Menéndez Pidal, La España del Cid, p. 884) Equum ascendit quem trans mare uexit | barbarus quidam necne comutauit | aureis mille 33 Cetera gentes A || ceduntur om. L || uidentis DLM

34 remanet L 36 Nec D 37 redamus L || laborum L (et A ante correctionem) 38 Toleti siue Legionis DEMS, ut clausula poscit (Legionis scandendum, nisi seu corrigas) : Legionis siue Toleti AL

- Exempto gladio diuino corporeoque,  
 40 Orant maiores inuitant atque minores  
 Ut ueniant cuncti fortes ad prelia tuti.  
 Crimina persoluunt, uoces ad sidera tollunt,  
 Mercedem uite spondent cunctis utriusque.  
 Argenti dona promittunt cumque corona  
 45 Quicquid habent Mauri rursus promittitur auri.  
 Pontificum clangor tantus fuit et pius ardor,  
 Nunc promittendo, nunc lingua uociferando,  
 Ut uix iam teneri possent a matre teneri.  
 A canibus ceruus uelut in syluis agitatus  
 50 Desiderat fontes, dimittens undique montes,  
 Plebs Hispanorum sic prelia Sarracenorum  
 Exoptans eque non dormit nocte dieque.  
 Tuba salutaris resonat per climata mundi.  
 Uox Almarie cunctis est agnita dire.  
 55 Dulcius <h>ac nihil est, per secula consona uox est.  
 Hec iuuenum cibus est, uetulorum florida dos est;  
 Paruorum dux est, adolescentum pia lux est;  
 Pontificum lex est, Moabitis ultima nex est;  
 Francorum sors est, Maurorum pessima mors est;  
 60 Lis Francis pax est maris, <i>licet inclyta fax est;  
 Hispanis rus est, bellantum denique mos est;  
 Argenti pars est, auri promissio sors est;  
 Longa quies crux est, bellandi gloria lux est.

39 Exempto gladio] *cf. Matth. 26 51; neque aliter legendum in Vit. patr. Em. XVII 38 (p. 232 Garvin) cum eis prius definiuit ut ... exempto (excepto codd. ut uidetur) gladio ... beatissimum uirum ... transuerberaret* 40 Erant L || inuitantque D 43 cunctisque L 45 rursus] *fort. prorsus || promittitur AD : permittitur EMS, promittit L* 46 Pontificor M || clangor L 47 uxiferando DM 48 a matre L (*et A post correctionem*): armate DMS, armare E, armati A 49 ceruus] *spatium uacuum in E relictum* 52 eque noct L 53 Tuba AL : Turba DEMS 54 Almaria D, Almeriae A 55 addidi 56 ruenum E || dos] uox L 57 adolescentium D 58 Moabitis DELMS : Moabitarum A, Moabitum Sandoval, *fort. recte || nex AL : necis DEMS* 60 Lis ... est *fulcit Ouid. Ep. 15 290 || addidi* 61 rus *scripsi (Francis nauale proelium obuenuit, Hispanis terrestre, ut par erat) : ros codd. || bellantum AL : bellandum DEMS, quod retinere possis mos in mox correcto* 63 quies *scripsi : -que est ADEMS, -que crux est L || cruz AL : trux DEMS*

- Maius est mensis, procedit Galliciensis  
 65 Percepta Iacobi primo dulcedine sancti.  
 Ut celi stelle sic fulgent spicula mille,  
 Mille micant scuta, sunt arma potenter acuta.  
 Est plebs armata, nam cuncta manet galeata.  
 Ferri tinnitus et equorum nempe rugitus  
 70 Surdescunt montes. Exsiccant undique fontes.  
 Amittit tellus pascendo florida uellus;  
 Puluere pre nimio uilescunt lumina lune,  
 Splendor et ethereus fuscatur lumine ferri.  
 Strenuus hanc sequitur turbam consul Fredinandus  
 75 Regali cura moderando Gallica iura.  
 Imperatoris erat nati tutamine fultus.  
 Hunc si uidisses, fore regem iam putauisses.  
 Gloria regali fulget simul et comitali.  
 Florida milities post hos urbis Legionis  
 80 Portans uexilla prorumpit more leonis.  
 Hec tenet Hispani totius culmina regni,  
 Regali cura scrutatur regia iura.  
 Eius iudicio patrie leges moderantur,  
 Illius auxilio fortissima bella parantur.  
 85 Ut leo deuincit animalia queque decore,  
 Sic cunctas urbes hec uincit prorsus honore.  
 Lex fuit antiqua: sunt eius prelia prima.  
 Sunt in uexillis et in armis imperatoris  
 Illius signa, tutantia cuncta maligna;

---

64 Maius *trissyllabus*, cf. *Anth. Lat.* 117 9 (I, p. 132 *Riese*) Maius Atlantis natae  
 dicatus honori <est> || praecedit A || Gallici ensis M, Gallicijensis (j *ex-*  
*puncto*) S, Gallicii ensis D, Gallicijnsis (j *in e correcto*) E, Gal(1)itiis ensis AL  
 65 Percepto AL : Praecepta DEMS 66 fulgent A : fulgeat DEMS, ful-  
 geant L 67 sunt] sicut (sic) A || potenter E 69 tinnitus AL : tri-  
 nitus DEMS || et AL, om. DEMS 70 Exsiccant L 73 fort. etheri(s)  
 || fuscatur AL : frustatur (-tra- M) DEMS 74 Fredinandus AL : Ferdi-  
 nandus DEMS 76 is erat A 79 Legionis AL : legationis DEMS  
 (*Legionis ad marg.*) 80 pror(r)umpit AL : prae(r)umpit DEMS 82  
 scrutatus A 83 patrie (parte A) leges AL : patre legis (leges M) DEMS  
 85 queque *scripsi* : uique DELMS, inquam A || decore DEMS : decora AL  
 86 hec A : hoc DELMS || prorsus DEMS : prorsus L, pro suo A 89 cuncta]  
 cum causa A



- 90 Auro sternuntur quotiens ad bella feruntur.  
 Cetus Maurorum uisu prosternitur horum,  
 Nec ualet in paruo consistere territus aruo.  
 Ut lupus urget oues, maris ut premit unda leones,  
 Hec lux uittatos sic proterit Ismaelitas.
- 95 Aula primo pie consulta uoce Marie,  
 Concessa scelerum uenia pro more priorum,  
 Uelis extensis procedit flammeus ensis,  
 Occupat et terram uirtus fortissima totam.  
 Gramina pascuntur, palee sine fine teruntur.
- 100 Hos Radimirus sequitur comes ordine mirus,  
 Prudens et mitis, Legionis cura salutis.  
 Forma preclarus, natus de semine regum,  
 Est Christo carus seruans moderamina legum.  
 In cunctis horis iussum tenet imperatoris
- 105 Peruigili cura, cui seruit mente benigna.  
 Flos erat hic florum, munitus et arce bonorum,  
 Armis edoctus, plenus dulcedine totus,  
 Consilio pollens, iusto moderamine fulgens;  
 Pontifices omnes precellit in ordine regum

92 tritus A || aruo AL : auro DEMS 93 urget] uiget L || unda AL : uerda DEMS || leones primo quidem obtutu absurdum, sed Ouidium (Met. I 304) nat lupus inter oues, faluos uehit unda leones imitari uidetur noster  
 94 Hec A : Hoc DELMS || uittatos L : uitatos ADEMS (cf. Ruder. Tolet. De reb. Hisp. III 18 p. 64 erant autem in panno depictae facies, ut uultus, dispositio et habitus Arabum adhuc monstrat, qui sua capita tegunt uittis, III 23 p. 72 uittis Mogueit usi pro funibus) || proterit AL : praeterrit DES, perterrit M 95 Aula] Nulla A || uoce suspectum; fort. rite || Maria A  
 96 mere E || priorum LE (cf. u. 334, Ouid. Met. X 218, Walahfrid. Strab. Vis. Wettini 177 (PAC, II, p. 309) : piorum ADMS: Hic locus admonet ut corrigam in u. 27 carminis Campidoctoris (Menéndez Pidal, La España del Cid., p. 881) : hinc Campidoctor dictus est maiorum | <m>ore uirorum 97 flammeus A : flammineus DELMS 100 Ranimirus M 101 Legionis DEMS : Legioni AL 102 praeclarum M || regum (u in litura) A 104 iusum AL : uisum DEMS 105 mente DEMS (cf. Verg. Aen. I 304), Eug. carm. XXI 7, Gerwardi uersus 3 (PAC, II, p. 126), Carmina Centulensia XVI 64 (PAC, III 2, p. 300), Ioh. Scott. IX 79 (PAC, III 2, p. 552) : menteque AL 106 et AL, om. DEMS || arce A (cf. Vit. s. Landelini 264 [PAC, V, p. 218] uirtutum floridus arce) : arte DELMS 108 pollens (cf. Carm. Centul. XXXIX 3 [PAC, III 2, p. 312]) plenus A 109 precelit L : praeceluit (in omisso) A, praeceli DES, praecedi M || regum scripsi : legum codd.

- 110 Exsuperatque pares trutinando cacumina legum.  
 Quid dicam plura? Superant omnes sua iura.  
 Non comiti tali pigritatur quis famulari.  
 Consule cum tanto Legio fera bella requirit.  
 Irruit interea non ultimus impiger Astur.
- 115 Hec gens exosa nulli manet aut tediosa.  
 Tellus atque mare numquam ualet hos superare.  
 Uiribus est fortis, trepidans non pocula mortis,  
 Aspectu pulcra spernit suprema sepulcra.  
 Bellandi facilis uenando nec minus apta
- 120 Rimatur montes agnoscit et ordine fontes.  
 Ut terre glebas, sic ponti despicit undas.  
 Uincitur a nullo, quicquid cernit superando.  
 Hec Saluatoris deprecens omnibus horis  
 Auxilium tumidas equitando deserit undas
- 125 Et socii aliis expansis iungitur alis.  
 Dux fuit illustris istis Petrus Adefonsi.  
 Nondum consul erat, meritis tamen omnibus est par.  
 Est nulli mestus, in cunctis extat honestus.  
 Fulget honestate superatque pares probitate,
- 130 Pulcer ut Absalon, uirtute potens quasi Samson,  
 Instructusque bonis documenta tenet Salomonis.  
 In reditu factus consul: sic consulis a <u>ctus  
 Obtinuit meritis magnis. Dtatus honore  
 Inter consortes ueneratur ab imperatore
- 135 Regalique pia fulgens uxore Maria:  
 Nata fuit comitis, merito fiet comitissa;  
 Gemma sue gentis sic erit per secula phenix.

---

110 trutinando *L* : trucinando *A*, trucidando *DEMS* || legum *scripsi* : regum *codd.* 111 Superat *L* 112 famulati *A* 113 Consule *AL* : Consulem *DEMS* || cum *om.* *A* 115 Hec *AL* : Hoc *DEMS* || excelsa *A* 117 montis *M* 118 suprema *DES*, superna *M* : postrema *AL* 119 uenandi *L* 120 et *om.* *A* 121 Ut *AL* : Ui *DEMS* 123 Hec *Sandoval* : Hoc *codd.* || deprecens *ALM* : depocens *DES* 124 undas *A* : uerdas (herbas *fort. primitus D*) *DELMS* 128 Est *AL* : et *DEMS* 129 superat *A* 131 Instructusque *scripsi* : Instructisque *DEMS*, Instrutisque *L*, Instructionibusque *A* 132 sic] sit *L* || *addidi* 133 Magnis *L* : magnus *DEMS*, magno *A* 136 fiet] fuit *A* 137 sue gentis *L* : surgentes *DEMS*, surgens *A* || phaenix *M*, phenis *DES* : perennis *AL*

- Post hos Castelle procedunt spicula mille,  
 Famosi ciues per secula longa potentes.  
 140 Illorum castra fulgent celi uelut astra.  
 Auro fulgebant, argentea uasa ferebant.  
 Non est paupertas in eis, sed magna facultas.  
 Nullus mendicus neque debilis aut male tardus:  
 Sunt fortes cuncti, sunt in certamine tuti,  
 145 Carnes et uina sunt in castris inopina,  
 Copia frumenti dat <ur> omni sponte petenti.  
 Armorum tanta stellarum lumina quanta.  
 Sunt et equi multi ferro seu pane suffulti.  
 Illorum lingua resonat quasi tympanotriba.  
 150 Sunt nimis elati, sunt diuitiis dilatati.  
 Castelle uires per secla fuere rebelles.  
 Inclyta Castella sitiens seuissima bella  
 Uix cuiquam regum uoluit submittere collum.  
 Indomite uixit celi lux quamdiu luxit.  
 155 Hanc cunctis horis domuit sors imperatoris.  
 Solus Castellam domitauit sicut asellam,  
 Ponens indomito legis noua federa collo.  
 In uirtute sua durans tamen inuiolata  
 Fortis Castella procedit ad intima bella  
 160 Uelise erectis. Pauor oritur Ismaelitis,  
 Quos, uelut euenit res, postea mucro peremit.  
 Innumerabilis, insuperabilis et sine cura  
 Extrematura prenoscens cuncta futura,  
 Augurio docta quod erat mala gens peritura,  
 165 Uisis tot signis audacter iungitur illis.

138 hos A : hoc DELS, haec M      139 per] post A      141 fulgens (?) D  
 || argentea A : argenta DELMS      143 medicus L || nec A      145 om. A  
 146 add. Sandoval      148 equi] i.e. equites ut uidetur (cf. ThLL, V 2, c.  
 731,77)      149 om. A || tympanotriba DEMS : tympanocriba L. *Vim uocis*  
*tympanotriba, haustae fortasse ex Prisciani Inst. VI 12 (GLK, II, p. 204, 17),*  
*neque plene intellexit misellus uersificator, qui eam pro tympano adhibuit,*  
*nec postea editores qui in Sandoualii praua coniectura tympano tuba acquieue-*  
*runt*      150 elati A : alati DELMS      151 secla L : secula ADEMS  
 156 asellam AL : ad sellam DEMS      161 mucro L (multo A) : mucrone  
 DEMS      163 Extr- LM, Estr- DES, Str- A      165 totis A || audacter L  
 (audatia A), cf. Chron. 81, 100, 165 : audaciter DEMS

- Si celi stellas turbati uel maris undas,  
 Si pluuię guttas camporum necnon et herbas  
 Ordine quis nosset, populum numerare ualeret.  
 Uina bibens multa, largo cum pane suffulta  
 170 Ferre ualet pondus, estatis despicit estus.  
 Operit hec terram uelut innumerosa locusta.  
 Celum siue mare non sufficit hos satiare.  
 Disrumpunt montes, exsiccant ordine fontes.  
 Quando consurgunt, celorum lumina tollunt,  
 175 Gens fera, gens fortis, metuens non pocula mortis.  
 Pontius ista comes regit agmina nobilis hasta.  
 Uirtus Samsonis erat hic, gladius Gedeonis,  
 Compar erat Ionate, preclarus uti Iesu Naue,  
 Gentis erat rector sicut fortissimus Hector,  
 180 Dapsilis et uerax uelut insuperabilis Aiax  
 Non cuiquam cedit, numquam bellando recedit,  
 Non uertit dorsum, numquam fugit ille retrorsum  
 Immemor uxoris, cum pugnatur, uel amoris:  
 Basia spernuntur, certamina quando geruntur,  
 185 Spernuntur mense, plus gaudet dum ferit ense.  
 Dum quatitur hasta, mala gens prosternitur hausta.  
 Hic numquam mestus tolerat certaminis estus.  
 Dextra ferit fortis, resonat uox, sternitur hostis.  
 Cum dat consilium, documenta tenet Salomonis.  
 190 Pro furcis enses mutat numerandoque menses  
 Escas ipse parat, per se sua uina propinat  
 Militibus lassus, dum tollitur horrida cassis.

---

170 Ferre ualet (ferri A) AL : ferret uolet (uellet M) DEMS 171 Oppertit  
 A, fort. recte (ut repperit) || hec Sánchez Belda : hoc codd. || uel L 173  
 excicat L 174 om. A || lumine L 178 Ionat(h)e AL : Ionn- DEMS ||  
 uti om. M 180 Dapsibilis A (cf. Dapsilis et fortis in *epitaphio Boni* 27  
 [PAC, II, p. 652]) || Arax L 182 nunque D 183 pugnaturus A  
 184 Basia scripsi : Dapsia ADEMS, Dasia L; quid sit dapsia ignoro; a dape  
 ut uidetur deriuat uocabulum inauditum Sánchez Belda 185 gaudent A  
 || furit A 186 hasta Sandoval : (h)hausta codd. || hausta Sánchez Belda :  
 (h)asta codd. 187 tolerat AL : tollerat DEMS 188 om. A 190  
 om. A || furcis scripsi : fulcris S. marg., quod inepte receperunt editores (gladio  
 opponitur rusticum instrumentum), fulcis codd. 191 per se] ipse A  
 || proponat L 192 torritur A

- Mauris est pestis, fuit Urgi postea testis.  
 Pontius hic consul fieri gliscit magis exul  
 195 Tempore bellandi quam linquat ense potiri.  
 Pro merito tali semper placet imperatori:  
 Pro uictis bellis ditatur munere regis  
 Omniaque regna domitat uirtute superna.  
 Iungitur his cunctis Fredinandus et ipse Iohannis,  
 200 Militia clarus, bello numquam superatus.  
 Rex Portugali metuebat eo superari,  
 Campo fulgentem cum uidit bella gerentem;  
 Nam quo uertebat uultum uel quo ueniebat,  
 Cunctos terrebat, cunctos simul ense premebat.  
 205 Nemo manet sella, cominus sua quem ferit hasta.  
 Sepius hic bellis Mauros deuicit acerbis  
 Nec dubitauit eos paucis inuadere multos,  
 Nam cuncti fugiunt Fredinandi qui fore noscunt.  
 Adfuit ast largo bello generosa propago,  
 210 Et natos multos peperit sibi iuncta uirago,  
 Qui bene patrissant Agarenos enseque truncant.  
 Securus tales pater est qui commouet enses.  
 Hunc bello mota sequebatur Limia tota.  
 Extremi populos sibi gaudet iungere multos,  
 215 Militibus tantis gratulatur rexque receptis  
 Magnificeque uirum suscepit in ordine mirum.  
 Aluarus ecce ruit Roderici filius alti.  
 Intulit hic letum multis tenuitque Toletum,  
 Et pater in nato laudatur, natus et ipso.  
 220 Fortis at ille fuit, nec nati gloria cedit.

---

195 Tempore *Sánchez Belda* : Temperet *DELMS*, Semper *A* 196 placet  
*om. A* 197 dicatur *L* || munera *A* || reges *L* 198 Omniaque *AL* :  
 Omnia quam *DEMS* 199 Fredinandus *AL* : Ferd. *DEMS* || Ioh. *AES* :  
 Io. *DLM* 201 eum *A* || sperare *A*, superiori *D* 204 limul *E*, semel *L*  
 205 quominus *A* || fecit *L*, fecerit *M* (ferit *ad marg.*) 208 Ferdinandi *M*  
 || nocunt *L* 210 Et] Est *L*; fort. En || uirago] *hoc uocabulum pro uxore*  
*usurpauit Theodulphus carm. XXV 83 (PAC, I, p. 485)* 211 Qui] Si *A* ||  
 patriscant *M* || Agarenos enseque *AL* : Agarenosque ense *DEMS* 213 Li-  
 mia *AL* : limina *DEMS* 214 Extremi *ALM* : Estr- *DES* || multos] totos *A*  
 219 in ipso *A* 220 at ille *AL* : Atillae *DEMS*

- Patri pater magnus, nepus sed pollet auo plus.  
 Cognitus omnibus est auus Aluarus, arx probitatis,  
 Nec minus hostibus est itidem pius, urbs bonitatis.  
 Audio sic dici, quod et Aluarus ille Fannici
- 225 Ismaelitarum gentes domuit nec earum  
 Oppida uel turres potuere resistere fortes.  
 Fortia frangebat, sic fortis ille premebat.  
 Tempore Roldani si tertius Aluarus esset  
 Post Oliuerum, fateor sine crimine uerum,
- 230 Sub iuga Francorum fuerat gens Agarenorum  
 Nec socii cari iacuissent morte preempti.  
 Nullaque sub celo melior fuit hasta sereno.  
 Ipse Rodericus, Meo Cidi sepe uocatus,  
 De quo cantatur quod ab hostibus haud superatur,
- 235 Qui domuit Mauros, comites domuit quoque nostros,  
 Hunc extollebat, se laude minore ferebat.  
 Sed fateor uerum, quod tollet nulla dierum:  
 Meo Cidi primus fuit Aluarus atque secundus.  
 Morte Roderici Ualentia plangit amici
- 240 Nec ualuit Christi famulis ea plus retineri.  
 Aluare, te plorant iuuenes lacrimisque decorant,  
 Quos bene nutristi, quibus et pius arma dedisti.  
 Fouisti paruos, firmans certamine magnos.  
 Talibus ac tantis tractus patribus generosis
- 245 Aluarus ecce furit, Mauros quoniam probus odit.  
 Nauia dat uires, Mons niger dat quoque plures  
 Terraque Lucensis munimina prestitit ensis.  
 Nec desunt equites, tribuit quia plurima diues.

---

221 Patri pater *scripsi* : Parte (Pater *DEMS*) patris (patri *DEMS*) *ADELMS*  
 || nepus *scripsi* : natus *codd.* || auo] aut *D*    222 Cognitus *A* : Cognitus  
 est *DELMS* || auus *AL* : ausus *DEMS* || arx *DS* : ars *AELM*    223 est iti-  
 dem pius *scripsi* : extitit impius *codd.*, quod in e. impiis *correxerunt editores*;  
*sed uersus caesura carens ferri nequit* || urbs (urs *L*) *AL* : urbis *DEMS*  
 225 eorum *A*    226 restere *M*    228 Roldani *DEMS* : Rolani *AL*  
 229 crimina *A*    233 sepe *AL* : semper *DEMS*    234 superat *L*  
 235 alterum domuit *om.* *A*    236 se] sed *AD*    237 Sede *M*    239  
 planxit *L*    243 firmans *A* : firmas *DELMS*    245 furit] finit *M* ||  
 quoniam *AL* : qm *DS*, q *E*, quam *M*    248 Plurima *suspectum*; *latet for-*  
*tasse nomen ciuitatis*

- Omnibus instructis et sumptibus arte paratis  
 250 Mulos conscendunt et equi uacui quoque pergunt,  
 Quos pueri ducunt humerisque scuta reponunt.  
 Iamque propinquabant castris fumosque uidebant.  
 Pulueream nebulam terram comprehendere totam  
 Rex uidit et totam iussit conscendere scholam  
 255 Magnificeque uiros sic demum suscipit istos.  
     Natus Fernandi domibus iubet arma reuelli  
     Martinus dictus: magnos Mauris dabit ictus.  
     Huic gaudet Fita, quoniam dominatur in ista.  
     In uultu niueus, membris et corpore largus,  
 260 Formosus, fortis, probus est et cura cohortis.  
 Diffugiunt Mauri, cum uoce tonat, pauefacti.  
 Hic pulcris pulcros armis armauit ephebos,  
 Castraque Martini turba resonant iuuenili.  
 Ii mortem spernunt, audaces sic quoque fiunt,  
 265 Plus gaudent bello quam gaudet amicus amico.  
 Uexillis altis intrant tentoria regis  
 Hortantes ad bella duces 'Cur estis hic pigritantes?'  
 <T>alia post dicta, que iurant non fore ficta,  
 Cuncti descendunt, regem simul ordine querunt  
 270 Atque genu flexo 'Bone rex' dixere 'ualetio'.  
 Sicque sedem pratis tandem statuere nouellis.  
     Nolo sit oblitus comes inclytus Ermengodus.  
     Inter consortes micat hic quasi stella cohortes  
     Est Sarracenis, est carus Christicolisque.  
 275 Si possim fari, cunctis ualet equiparari

---

251 ducunt AL : dicunt DEMS || humerisque DEMS : humeris qui AL  
 253 nebulam L, nebulam A : rebulam DEMS 254 uidet A || iussit]  
 uidit A 255 si M 257 dabit Mauris A 258 Hinc A || quando  
 minatur A 259 niueus] iubenis A 262 pulcris] pulcher A 263  
 tuba A 264 Hi L || fiunt AL : fuerint (i.e. fuint) DEMS 265 om. A  
 266 tenoria L 267-68 om. A 268 addidi 270 genuflexi A  
 271 sedem ... statuere scripsi : sedent ... studuere :codd. 272 comes  
 iterauit L || Hermengodus A (Ermengaudus in diplomatibus) : Ermegodus  
 DEMS, Ermogidus L 274 alterum est] et A 275 possum A || cunc-  
 tis scripsi (fort. totis, cf. Poet. Sax. IV 82-83 [PAC, IV 1, p. 48] fuerat cui  
 subditus Indis | exceptis oriens totus) : ratis codd.

- Regibus exceptis. Hic armis more receptis  
 Cum uirtute Dei fretus multo comitatu  
 Ad pugnam uenit, qua plures ense peremit.  
 Tardius ad bellum Guterrius et Fredinandi
- 280 Non uenit, est regis quoniam tutamine fretus.  
 Sanctius est nostri qui filius imperatoris  
 Cum primum natus, huic traditur ille docendus.  
 Nutrit eum care, quem uult omnes superare.  
 Consors maiorum Guterrius extat honorum.
- 285 Ipse cateruatim properans ad prelia pergit.  
 Ad bellum properat regalia signaque portat  
 Laxatis loris carus gener imperatoris,  
 Nomine Garsia. Sed Pampilonia tota  
 Iungitur Alaue, Nauarria fulget et ense.
- 290 Omnibus his fultus gaudet certamine tutus  
 Ramiri natus. Regi si<t> postea uirtus!  
 Huius in aduentum gaudens Hispania tota  
 Suscipit ut dominum, nam scit regi fore gratum:  
 Regibus haud dispar, sed et haste turbini compar.
- 295 Talibus auxiliis implentur regia castra.  
 Talibus ac tantis Hispania fulta columnis  
 Erectis signis Andugeris occupat oras.  
 Primitus Anduger degustans uina doloris  
 Augusti iussu circumdatur imperatoris.
- 300 Sternitur hoc castrum, sed et Urgi sternitur ipsum.  
 Clamat et ad Baalim, Baalim surdescit ad ista,

---

276 amore recepit *D* 276-77 *om. A* 278 qua (a *in litura*) *A* : quo  
*DELMS fort. recte (i.e. comitatu)* 279 Gutterrius *M*, Gutierrius *A* || Fre-  
 dinandi *AL* : Ferdinandi *DEMS* 281 Santius *A* 284 Gutterrius *M*,  
 Gutierrius *A* 285 *om. A* 286 regalia signaque *DEMS* : regaliaque  
 signa *AL* 287 laxatux ioris *L* || genere *L* 288 Nomine] Dominus *A*  
 || Garseas et Pampilona *A* 289 Iungiter *L* || Alaux *E* || Nabaria fulget  
 ense *A* 291 regi *DELMS* : regis *A* || *addidi* (si *DELMS* : sed *A*) || uirtus  
*A* : uictus *DEMS*, uinctus *L* 293-94 *om. A* 293 fore regi *L* 294  
 haste turbini *scripsi* (cf. *Verg. Aen. X* 603, *XI* 284, *XII* 923) : hoste turbine  
*codd. (ad prosodiam cf. u. 221)* 296 *om. A* || ac] aut *M* 297 Andu-  
 xeris *A* || occupat *AL* : occupant *DEMS* || horas *L* 298 *om. A* || Anduger  
*scripsi* : Andugar *codd.* 299 iussit *D* 300 Urgi] Iiturgi *intellige*  
 301 et *om. A* || ad *AL, om. DEMS* || Baalim *utruique AL* : Bahalim *DEMS*  
 || surdescit *AL* : descit *DES*, dicit *M*



- Denegat auxilium, quia non ualet his dare nullum.  
 Sic per tres menses amittunt ordine messes,  
 Amittunt cuncta fuerant que parta labore.
- 305 Uiribus exhaustis, consumptis omnibus escis  
 Obsidibusque datis iam pacis federa querunt.  
 Uiuere cum nequeunt, regi sua se quoque reddunt.  
 Redditur et Bannos, castellum nobile quoddam.  
 Inclyta Ba<r>iona scripta non sponte corona
- 310 Redditur inuictis uexillis imperatoris.  
 Nobilis urbs alia, que fertur uoce Baeza,  
 Uisis tot signis, magno concussa tremore  
 Deposito prisco collum submittit honore  
 Et gaudet reddi, cum non ualet <esse> rebellis.
- 315 Cetera castella Mauri, que sunt ea circa,  
 Omnia cum reddunt, uitam pro munere poscunt.  
 Uita concessa recreant sua corpora fessa.  
 Urbibus his cunctis strenuus preponitur armis  
 Consul Malricus, Christi non fictus amicus.
- 320 Complacuit cunctis, placuit simul imperatori  
 Ut Sarracenis fulgeret Christicolisque.  
 Fama preclarus cunctis erat ipseque carus,  
 Dapsilis et largus, nulli per secula parcus.  
 Armis pollebat, mentem sapientis habebat,
- 325 Bello gaudebat, belli documenta tenebat.  
 Hic patriçabat in cunctis que faciebat.

---

302 ullum A      303 amittit A      304 parca A      305 consumptis  
 ALM : consumptibus DES      306 Obsidibusque AL (cf. *Poet. Sax* I 448  
 [PAC, IV 1, p. 17]) : Obsidibus atque DEMS || iam pacis] signis A      307 se  
 om. A      308 Barmos A || quoddam] fort. quondam      309 addidi (i. e.  
 Ariona) : Barmos A. *Animo scriptoris qui ecclesiastica magis quam geographi-  
 ca callebat nomen Simonis Bariona obuersatum est* || scripta DEMS : spreta  
 L, sperat A      311 inuictis Sandoval (*poteras etiam armatis conicere*) :  
 mutis DELMS; *miras turbas in hoc et in sequenti uersu excitabit* A : Reddi-  
 tur armis urbs nobilis imperatoris | Nobilis urbis ubique      311 urbs  
 Sandoval : urbis *codd.* || Baeza DES : Baeça ALM      312 Uisis] Uossis E,  
 Uixit M      314 uallet L || *add. Sandoval*      315 circa] cura A      316  
 permanere A      318 proponitur A      319 Malricus (l et i in litura) A :  
 Manrique DELMS (*in S marg. Manrricus*)      320 placuit AL : complacuit  
 DEMS      323 Dapsilis L : Dapsibilis ADEMS      326 patriçabat S, pa-  
 tricabat ADELM

- Larensis Petrus consul pater extitit huius,  
 Qui rexit propriam per secula plurima terram.  
 Natus et in cunctis sequitur uestigia patris.
- 330 Primeuo flore sed ob hoc ditatus honore  
 Atque suo more ueneratus ab imperatore  
 Legis erat testis, Maurorum pessima pestis.  
 Omnibus expletis que diximus atque peractis,  
 Tempore consumpto priscorum more parentum
- 335 Cum palma redeunt ciues ad menia patrum  
 Exceptis paucis. Tenet hos solertia regis.  
 Augusti nepa fuerat, cum nuntia clara  
 Per mare Francorum ueniunt, multis sed amara.  
 Atque salutato pro moribus imperatore
- 340 Nuntia sic fantur: 'Totius gloria regni,  
 O decus egregium, Francorum fulua iuuentus  
 Expansis uelis uos clara uoce salutat  
 Ad maris et ripas armato milite sperat.  
 Uester cognatus, uti promisit, Raymundus
- 345 Hostes aduersus properat nimium furibundus,  
 Et gens Pisana uenit in simul et Genuana.  
 Dux Pesulanus Guillermus in ordine magnus  
 Hos sequitur iuxta celsa fortique carina.  
 Sunt nimis armati, sunt ad fera bella parati,
- 350 Sunt memores pacti: portum nunc denique nacti  
 Aduersum Mauros lapides portant quoque duos.

---

328 textit L      331 ueneratus A : ueneratur DELMS      336 paucis AL :  
 pacis DEMS      337 nepa] nepta Sandoval, coepta Sánchez Belda perperam.  
*Quid sit nepa docent Versus de diebus Aegyptiacis* 14 (Riese II, p. 157) Augusti  
 nepa prima fugat de fine secundam (cf. PAC, IV 1, p. 272, Hucbaldi uersus  
*de diebus Aegyptiacis*), unde clarius luce patet Kalendas Augustas hoc insolito  
 uocabulo nuncupari, quas terminum sui aduentus tam ipsi quam imperator po-  
 suerunt (Chron. 202, 203)      330 sed] sede L      339 imperatore (e in i  
 correcto ut uidetur) E      341 egregius exspectaueris, sed o decus egregium  
 clausula usitata est (cf. Carm. Centulensia CV 16 [PAC, III 2, p. 336])      342  
 bellis A || uox L      345 aduersus A : aduersum DELMS      347 Pessula-  
 nus DEMS : Pesulanus AL || Guillermus DEMS : Ubillelmus A, Vuillemus L  
 348 iusta L, in excelsa A      349 alterum sunt AL, om. DEMS      350 nunc  
 scripsi (cf. ThIL, V 1, c. 534,62) : non codd.      351 Mauros] muros Florez ||  
 portant A s portans DELMS

- Mille rates ducunt, te tardum iam fore dicunt.  
 Alnis et pictis onerati <s> omnibus escis  
 Auro <pro> raptō certabunt agmine factō  
 355 Et uestros hostes mactabunt nempe libenter.  
 Indiget auxilio nullius turba uenusta,  
 Si fuerint uestra presenti duce suffulta'.  
 Nuntia dixerunt ut talia sic, tacuerunt.  
 Talibus auditis ridet mens imperatoris,  
 360 Sed trepidant fortes sub tali uoce cohortes.  
 Proximus ad socium lacrimans sic fatur amicū:  
 'Usque modo bella bellis sunt undique mixta.  
 Nuntia sunt cara regi, nobis sed amara.  
 Undique sunt hostes in itinere † quasi postes,  
 365 Est uia longa nimis, diuersis consita spinis.  
 Potus siue cibus in saccis non manet ullus,  
 Partibus e cunctis sequitur nos bellicus ensis.  
 Heu lux argenti cari fulgorue talenti,  
 non esses nostris utinam collata sinistris!  
 370 Auro pro paruo gladiis moriemur in aruo,  
 Et plaudent aliis uxores nempe maritis  
 Et nati flebunt, alii cum tecta tenebunt,  
 Et carnes nostras uolucres celi lacerabunt'.  
 Inter pontifices presentes Astoricensis  
 375 Hoc cernens presul, cuius micat inclytus ensis  
 Plus quam consortes, confortans uoce cohortes,  
 Alloquitur gentem iam prorsus deficientem.

---

352 rates A : rate L, ratae DEMS || tardum te A 358 Alnis scripsi : ar-  
 mis codd. Picta arma dixit Uergilius, sed sensus nihilominus cladicat addidi  
 || omnibus scripsi (cf. u. 305, Chron. 179 asinos oneratos farina et omnibus) :  
 ducibus codd., quod sensu omnino caret; neque propitiam habuere Mineruam  
 qui dulcibus coniecerunt, nam de cibi sapore hic non agitur; du- insititium  
 est, sub cibus latet oibus, i. e. omnibus 354 addidi (cf. u. 370); Aurora  
 Sandoval || raptō] fort. pacto 355 uestros DEMS : nostros AL || nepe  
 A || libenter Sandoval : libentes DEMSL, ilibentes A 356 Indiget ALM :  
 Indigit DES || Auxilia M 357 fuerit Sánchez Belda (luce tunc corrigen-  
 dum), sed cf. u. 29 359 ridet AL : redet EMS, reddet D 361 Pro-  
 ximus L 362 belli L 364 quasi DELMS : sicut A; locus mendo-  
 sus 365 Est AL : Et DEMS || diuersis] nudosis A 367 bellicus AL  
 : bellicosos DEMS 370 pro om. A 372 tecta scripsi : lecta DELMS  
 (ad genus cf. Fruct. reg. 16), loca A

- Vocibus et dextra sunt magna silentia facta.  
 'Psallat in excelsis celorum gloria' dixit.  
 380 'Pax sit et in terris genti Domino famulanti.  
 Nunc opus ut quisque bene confiteatur et eque,  
 Et dulces portas paradisi noscat apertas.  
 Credite, queso, Deo, Deus est profecto deorum  
 necnon cunctorum Dominus manet hic dominorum,  
 385 Qui fecit letus nobis miracula solus.  
 Constant et celi...

---

379 Psallat *M*, Psalat *DELS*, Spalat *A*      380 et *om.* *A*      382 portas  
*om.* *M*      383 Deo iteravit *D* || profecto *AL* : profecto *DEMS*      384 ma-  
 ret *E*      385 lectus *A*